ad 7283. 6. M: 820

Nos Domesticum Ill: Collegii Reformatorum Agropolitani Consistorium

damus pro memoria singulis quibus expedit ac universis harum nostrarum serie Litterarum mediante; quod cum essemus die duodecima Mensis Martii A. C[illegible] in solito pro tempore nostrae Congregationis Loco ad publica oque privata praefati Collegii negotia tractanda constituti, adstitit in medio nostri Spectabilis ac Grosus Dominus Volfgangus Bolyai de eadem Commembrum hujus Consistorii, Professor quippe praedicti Collegii Matheseos Phisices atque Chemiae publicus Ordinarius, et petiit a nobis honorifice, quatenus de facta praememorati Muneris sui gestione, deque vita apud nos acta ratione fide dignum sibi impertiremur Testimonium. Quo circa cum justa petenti non sit denegandus assensus, huic tam honestae ejus petitioni nulla ratione deesse voluimus, quin imo hanc ab illo oblatam nobis de eodem testificandi tam opportunam occasionem lubenter et alacri animo acceptavimus.

Testamur itaque bona fide praelaudatum Dominum Volfgangum Bolyai Virum insigni eruditione conspicuum, singulari ingenii acumine praeditum, aliisque animi dotibus egregiis eximie ornatum, eas quarum docendi provincia eidem est demandata scientias Studiosae Juventuti summa industria, indefesso labore, et quidem cum insigni eorum, qui sagacitate ingenii ad has sublimes et altioris indaginis Disciplinas percipiendas pollerent, emolumento tradidisse per annos quindecim; in dimensionibus item Mathematice peragendis exercuisse, nec non in experimentis et Chemicis observationibus excoluisse animos discentium; caeteraque muneris sui officia rite adsequutum fuisse. Linguarum ad haec variarum in cognitione adeo esse excultum, ut sive loqueretur [illegible] idiomate Linguae Latinae, Germanicae, Gallicae, Anglicae, seu Hungaricae, aut Valachicae, constaret eum in his [illegible] illum loquendi expedite scribendique prompte et quam optime callere; documento denique esse Hortum Domicilio suo professorali adjacentem, quid quantumque efficere in arborum tam hortensium quam sylvestrium cultura data ad id ampliori opportunitate valeat, quem antea fere neglectum et desolatum amoenissimum plane reddidit; Morum denique probitate, integritate vitae exemplum, quod sequerentur laudabile, omnibus curae suae et institutioni commissis exhibuisse.

Quibus ita prouti vere ac sincere exposita sunt se se habentibus, has eidem Viro Testimoniales subscriptionibus manuum et sigilli publici munimine roboratas dandas duximus atque concedendas. Datum signatumque in Libera Regiaque Civitate Maros Vásárhely die duodecima Mensis Martii. Anno Domini Millesimo Octingentesimo Vigesimo.

Michaël Comes Teleki mp.
Insp. Curator.

Gregorius Dósa de Makfalva mp.
Juris Professor p. o. et p. t. Re[illegible]

Johannes Antal mp. Professor Phi[illegible]lologiae et Paedagogarcha

I/4.

BF.144/1v

BF.144/2

BF 144/2v

13/